





1783, 6

16

19

ccc 3

DE
IVRE SVCCEDENDI FEMINARVM IN FEVDO
A FEMINA ADQVISITO
BREVITER DISSERIT

ATQVE
AD AVDIENDAM
O R A T I O N E M

DE
CONCLVSI CORPORIS EVANGELICORVM
IVRI ECCLESIASTICI COMMVNIS PROTESTANTIVM
IN GERMANIA FONTIBVS

DIE XIX. IVLII CIOIOCCCLXXXIII
MVNERIS PROFESSORIS IVRIVM PVBLICI EXTRAORDINARII
AVSPICANDI GRATIA
HABENDAM

OFFICIOSE INVITAT
ANDREAS IOSEPHVS SCHNAVBERT
PHILOSOPHIAE ET IVRIVM DOCTOR.



G I E S A E
EX OFFICINA BRAVNIANA.



DE
IVRE SUCCEEDENDI FEMINARVM IN REVDQ
A FEMINA ADVQVINTO

BREVETI PRINCEPS

ATVIV

AD ACADEMIAM

O E N T I O N E M

DE

CONCEPTE GORPUS EVANGELICORVM
IVRE ECCLIAE ET COMITIS PROTESTANTIVM
IN GERMANIA FORMITVS

DIE XIX JULII MDCCCXXXIII

AVTENTIS PROFESSORIS IVRVM PAVLI KATACORDIARI

AVTENTIS PAVLI

PRINCEPS

OFFICIOSI INVITAT

ANDREAS IOSEPHVS SCHNAPPERT

PHILOSOPHVS ET IVRIVM DOCTOR



~~.....~~

GI 224

EX OFFICINA PRAVVIANA

332





DE IVRE SVCCEDENDI FEMINARVM IN FEVDO
A FEMINA ADQVISITO.

Nouissime successionem feminarum, in feudo a femina indefinite adquisito, impugnandam sibi sumit celeb. *Püttmannus* Lipsiensis Antecessor, * sententiam suam in laudatis modo *elementis* hise breuiter exponens: " In feudo a femina prima acquisito an deinceps etiam feminae succedant, ambigitur. Mihi quidem hac de re ita videtur. Potest feminae concedi aut feudum femininum, aut masculinum, aut noue denique constitutum. Prima in specie dubitari nequit, quin feudum pristinam suam seruet naturam. Altera in specie similiter idonea haud apparet ratio, quare dominus directus feudum masculinum tacite in feudum femininum commutasse praesumendus sit. Tertia denique in specie, quando scilicet feudum noue constitutum absque mentione qualitatis feudi masculini aut feminini (hac enim adiecta nullum superesse potest dubium) simpliciter

A 2

* *Tam in elegantibus iuris feudalis elementis*, Lipsi. 1781. §. 98. cum in *observationibus iuris feudalis*, ibid, 1783. cap. 23.



” pliciter in feminam transfertur, itidem feminas a successione ex-
 ” cludendas esse existimamus”. Argumentis id, quod de tertia spe-
 cie adseruit, in *observationibus* memoratis firmare studuit, quae mo-
 do breuissimis exhibebo, atque, quantum pro instituti ratione licet,
 discutiam.

” Ac primo quidem, inquit, nemo facile negauerit feuda, si ori-
 ” ginem eorum spectes ac finem, folis olim masculis destinata, femi-
 ” nas contra plane ab ijs exclusas fuisse. . . Haud minus apud omnes
 ” in confesso est, quodcunque feudum praesumi proprium, nec ab
 ” vna qualitate a communi feudorum natura declinante ad alteram
 ” itidem a regula abhorrentem recte argumentum duci. . . Quem-
 ” admodum porro nemo facile suum iactare, aut sine causa iure suo
 ” cedere praesumitur, ita nec dominus directus feudum in feminam
 ” transferens hoc eo animo, vt praeter communem feudorum natu-
 ” ram feminae quoque in illo succedant, fecisse. . . censendus est *”.

Ab his principiis nemo facile abnuet; Nequaquam vero ad praesen-
 tem illa quaestionem pertinere, quodsi leges feudales feminis in feudo
 a femina primum adquisito successione aperte satis tribuant, multa pro-
 batione opus non est; cum enim capacitas ad praestationem serui-
 tiorum militarium inter requisita solum respectiua numeranda sit,
 quam

* Hoc argumento iam vsus est SIEGELIVS qui post ANDREAM de ISERNIA,
 in *Comment. in Vfus Feud.* ad II. F. 30. MATTHAEVUM de AFFLICTIS in
Comm. super III. Feud. libr. ad I. c. n. 14. FRANCISCVM HOTOMAN-
 NYM in *Comment. ad rext. alleg.* & in *Disp. feudat.* cap. 15. & MICH. HENR.
 GRIEBNERVM in *diff. de feudis Imper. masculin.* §. 18., in speciali ser-
 ipto de feudo femineo proprio §. 10. seq. in IENICH. thes. iur. feud. Tom.
 II. p. 356. eandem, quam modo PÜTTMANNVS, sustinuit sententiam.
 Nemo horum a Püttmanno laudatus est, nequidem KINDII argumenta
 in *diff. de feudis femininis* Lipsi. 1775. §. 14. SIEGELIO iam opposita vi-
 rum celeb. sollicitum habuere.

❦

quàm ommittere in arbitrio domini est, atque improprietas, quòd si in lege illa fundetur pro speciali casu, probanda non sit, potius contrahentes, nisi pacto aliter voluerint, legum se dispositioni adquiescere velle praesumendi sint; satis patet, praesente in fauorem feminarum legum dispositione adlata principia, vtvt alias verissima, ad quaestionem propositam adplicari neuiquam posse. Ad legum feudalium itaque dispositionem sermo conuertendus est.

"Instant" ita pergit Vir celeb., "antem dissentientes, suam" que opinionem variis iuris feud. Long. capitibus sc. I. F. 15. II. "F. II. 30. & 50. fulcire conantur. . . Primum locum (I. F. "15.) huc plane non pertinere, quilibet, qui eum perlegere haud "grauatus fuerit, statim intelliget, neque adeo illi immorari operae pretium esset".

Nec ego eidem immorabor; potius ea iam proferam, quae cel. Püttmannus ad II. F. II. & 50. regerit.


"Aiunt," inquit, "feudum femineum hic non esse feudum ex "pacto ad feminas transiens, sed potius feudum a femina primum "acquistum, quia particula disiungens *vel* addita sit, eaque indicet, "de duabus diuersis feudorum speciebus, feudo scilicet ex pacto ad "feminas transeunte, & feudo a femina primum acquisito, hic ser- "monem esse. Enim vero 1) notissimum est, *re vel* haudquaquam "semper disiungere, sed idem interdum significare, ac *id est*. Conf. "VICAT uocab. iur. vtriusqu. Tom. III. p. 516. 2) feudum femi- "neum hic non est, quod femina primum acquisiuit, sed potius id, "cui hoc nomen in litteris inuestitur. reapse inditum fuit, hac fe- "re formula: Wir reichen und leihen gedachte Güther Titio und seinen Leibes Erben zu einem Manns und Weibers Lehn".

At tanti nequaquam esse videntur, quae reponit vir cel., vt a communi me sententia discedere iubeant. Namque quoad 1) lubens




concedam, particulam vel non semper disiungere; attamen a) ex communiore significatione disiungit, qua standum est, donec explicare ac demonstrare illam, ratio sufficiens ex toto contextu aut aliunde petita persuadeat; qualis ratio b) a cel. PÜTTMANNŌ adlata non est, ceu ex sequentibus clarius adparebit; imo c) obstat ei, quam hoc in contextu particulae *vel* tribuit, significationi ipsa textus positio, quae est: *filius patri succedit, & non filia; nisi ex pacto vel nisi femineum sit.* Quodsi *et* vel hic idem ac *idest* significaret, superflue a feudista *et* *nisi* repetitum fuisset, saltem dilucidior eius fuisset significatio, quod si *et* *nisi* non fuisset repetitum; Ast inde probabile omnino argumentum consicitur, Feudistam casus significare voluisse plane diuersos, quibus filia quoque patri succedat: 1) si eo pacto acquisitum 2) si femineum feudum sit. Confirmatur id euidenter ex textu parallelo II. f. 30. ibi: *quia femineum est feudum & sine pacto speciali &c.*, quo casum vtrumque *&* si femineum est feudum *&* pacti specialis tanquam diuersum proponi nemo etiam lynceis oculis non instructus non videt. Nec hic nubem interpretum ab interpretatione, quae viri cel. est, dissentientium adducam, cum contra eam ab ipso pugnetur. Quoad 2) Nulla a) mihi se sistit ratio in textibus allegatis per feudum femineum illud tantum intelligendi, cui hoc nomen in litteris inuestitur, inditum fuit, cum appellatio haec qualicumque modo expressa, se ad pactum dominum inter & vafallum circa successionem feminarum in feudo, referat, hieque casus factae in litteris inuestiturae feudi feminei mentionis a casu pacti desuper inter dominum & vafallum initi plane non differat, adeoque sine omni ratione, vnum eundemque casum diuersis propositionibus a feudista expressum esse, adseratur. Accedit b) quod textus II. f. 50. satis desinat, quid feudum femineum ex mente Feudistae sit. *Si femina, ita textus habet, habens feudum decesserit, quia femineum est feudum, & sine pacto speciali, deficientibus filiis masculis, ad filias pertinebit. Oberthus & Gerardus.* Duplex hic casus expressus est 1) pacti specialis 2) si feudum femi-

mi-



mineum est, quem vltimum textus supponit, esse ex eodem, si femina feudum habet. Aperte supponit textus, feminis non esse pacto speciali prouisum; dicitque, si femina habens feudum, decesserit, nihilominus filias ex sententia Oberti & Gerardi ad successionem in feudo admittendas esse, quia femineum est feudum. Obstat quidem Feudistam feudum femineum adpellare, quod *femina habet*, non vero adpellationem restringere ad illud, quod femina *primo sibi constitutum habet*; sicque ex hoc textu inferendum quoque esse, feminas succedere in feudo, quod femina ex privilegio, gratia domini, more regionis &c. obtinuit, * quod tamen nimium atque falsum foret. Fateor hanc obiectionem, ab ipso *Püttmanno* V. C. nequidem factam, sua non carere difficultate, quae tamen tanta non est, vt superari planeque remoueri nequeat. Nemo enim 1) negabit, illud solum feudum femineum a Feudista intellectum fuisse, quod ex Oberti & Gerardi sententia *et sine pacto speciali* talis conditionis est, vt feminis successio in eo a praefatis consulibus adferri cum ratione quadam potuerit; id quod de feudo, quod femina non primum adquisiuit, sed ex privilegio, gratia domini aut more regionis habuit, iis nequidem in mentem venire potuit. Nemini de hoc dubium erit, qui principia de exclusione feminarum a successione feudali in libris iuris feudalis longobardici obuia & ex vtriusque consulis libellis maximam partem hausta perpenderit, ad quae 2) accedit, quod ex vtriusque consulis sententia, quae ex libris iuris feudalis longobardici iidem adparet, successio nemini competat, nisi qui in primi acquirentis inuestitura comprehensus aut inuestituram specialem nactus fuerit. Quotus enim quisque est, qui non certo secum persuasus sit, Consulum horum sententiam certo certius a Feudista fuisse notatam, quod si ex leui adeo fundamento, quod feudum per accidens ex privilegio scilicet &c. in manus feminae peruenit

* *CVIACIVS* lib. I. de feud. tit. 12. *BITSCHIVS* in *Commentar. in consuet. feud.* pag. 559 Speciat huc interpretum distinctio inter feudum femineum & feminae de qua conf. *MOELLER* in *prim. lin. Dist. feudat. c. 4. D. 1.*



nerit, successionem femineam adferuissent. Confectarium inde est, feudum quod femina habuit, in II. f. 30. illud tantum intelligi oportere, quod femina primo sibi constitutum habuit. Atque, ne hic verba carpantur, vix monere operae pretium est, primam acquisitionem feminae non necessario supponere, quod res antea adhuc fuerit allodium; Fuerit feudum, a quo hactenus etiam feminae exclusae fuere; prima a femina adquisitio nihilominus aut extinctis masculis feudoque domino aperto, aut alio modo fieri potuit. Magis haec omnia 3) firmantur ex eo, quod nullus extet in iure longob. textus, qui de casu, quo femina feudum, vt feudum, per accidens accepit, expressam mentionem faciat aut feudum propterea femineum adpellet; potius suppetunt textus quam plurimi, in quibus verba *accipere* *, *habere* **, *tenere* ***, *possidere ab aliquo* ****, *detinere* * feudum, idem est ac, *per contractum feudalem atque subsecutam investituram* feudum sibi habere constitutum. Quod si itaque ex iuris longobardici sensu feudum quod femina habet, est illud, quod per contractum feudalem atque subsecutam investituram femina sibi constitutum accepit, habemus feudum a femina primo adquisitum seu ex textu II. f. 30. femineum, in quo vi textuum II. f. 11.

* I. f. 1. pr. & §. 1. I. f. 4. §. 1. 4. I. f. 5. pr. I. f. 6. §. 1. II. f. 9. pr.

** I. f. 3. pr. I. f. 4. §. 1. 6. I. f. 5. §. 1. I. f. 6. §. 1. I. f. 9. in f. I. f. 14. I. f. 15. pr. I. f. 24. II. f. 5. II. f. 10. §. 1. 2. II. f. 15. pr. II. f. 26. §. 9. & 23. II. f. 34. §. 4. & 5. II. f. 48. pr. II. f. 50. II. f. 51. §. 5. & 6. II. f. 55. §. 1.

*** I. f. 4. §. 3. I. f. 9. pr. II. f. 8. pr. II. f. 11. pr. II. f. 20. in f. II. f. 21. II. f. 24. §. 6. II. f. 25. II. f. 33. pr. II. f. 34. §. 2. II. f. 39. §. 1. II. f. 40. §. 3. II. f. 41. §. 2. II. f. 45. §. 1. II. f. 46. II. f. 55. §. 4.

**** II. f. 22. pr. &c.

* I. f. 3. pr. &c.



f. 11. & 50. proles feminini sexus vel ex femineo sexu descendens, in quo filia succedit. Denique 4) in textu II. f. 30. per feudum femineum intelligendum esse, quod a femina primo acquisitum, probatio fere superflua videri potest, eo quod ipse PÜTTMANNVS V. C. hanc verbis *feudum femineum* notionem in textu laudato subiungat, vt adeo constare sibi ipse non satis videatur, eandem in textibus II. f. 11. & 50. notionem, verborum eorundem, eodem in contextu positorum, reiiciens. Patet id ex solutione argumenti ex II. f. 30. pro communi sententia desumpti, quod statim pluribus contra solutionem viri celeb. confirmabo.

"Tertius", inquit demum, "restat locus II. F. 30... Sed qui-
"libet, modo a praeiudicatis opinionibus liber sit, nullo negotio
"intelliget, verba illa itidem nostrae potius sententiae, quam con-
"trariae opinioni fauere. Summa eorum haec est: Obertus & Ge-
"rardus existimarunt, femina mortua femineam etiam prolem, defi-
"cientibus masculis, ad successionem in feudo a femina primum
"acquisito admitti. Alii contra dixerunt, feminas in eiusmodi feu-
"do nonnisi vi pacti specialis succedere; atque huic postremae sen-
"tentiae compilator etiam iuris Long. subscripsit. Verba enim
"quod falsum est nequaquam ad totam sententiam posteriorem, sed
"ad verba tantum proxime antecedentia, quia est femineum transit
"in femineam prolem etiam masculis extantibus, pertinent.

Ac vel inspicienti textum memoratum, 1) vltro patebit, dici
prorsus non posse, sententiam a Feudista postremo loco relatam,
ab eo quoque adprobatam esse; vbi enim vel vocula huius adpro-
bationis signum in ipso textu deprehenditur? Summa totius textus
est: Ex Oberti & Gerardi sententia filias in feudo, quod femina
habuit, deficientibus masculis, etiam sine pacto speciali, succedere,
quia femineum est feudum. Nec contra sententiam consulum, nec
contra fundamentum sententiae quidquam a Feudista obmouetur.
Ex aliorum vero sententia filias, nisi pacto speciali ipsis fuerit pro-

B

uisum



visum, non succedere ait; addit & huius postremae sententiae rationem, subiunctis verbis demum *quod falsum est*. Concedo iubens Viro celeberr., verba *quod falsum est*, non esse verba Feudistae rationem pro secunda sententia adlatam reiicientis & pro falsa habentis, sed verba illa adhuc pertinere ad rationem & fundamentum ipsum sententiae, ut eorum sensus sit: *quod tamen falsum est*, scilicet, femineam prolem etiam masculis extantibus succedere, quia feudum femineum est. Non tamen inde vllum sententiae secundae a Feudista adprobatae vestigium in textu reperire est. Potius 2) cum ex hoc textu satis adpareat, quaenam Feudistae feudi feminei notio sederit; ex textibus II. f. II. & 50 colligendum, eam, quam Oberus & Gerardus tenuere, sententiam eius accepisse calculum, in textibus adlatis ab ipso simpliciter & vnice propositam*.

Robur denique quaecunque sententiae, feminarum successionem in feudo a femina primum indefinite adquisito adferenti, ex II. f. 104. accedit, quem textum Vir cel. profus omisit. Quanquam enim inter capitula, ut vocant extraordinaria ille sit, quibus auctoritas iuris recepti ex meliori sententia denegatur, constat tamen satis, ad illustrationem, confirmationemque capitulorum ordinariorum ea multum conferre**.

* Ponderanda hic sunt, quae a DD. pro casu collisionis textuum iuris feudalis proponuntur, principia, atque hic ROTHIVM in *Pand. feudol. Cap. I. quaest. 33.* HORNIVM in I. F. cap. I. §. 51. MOELLERVM I. *alleg. Cap. I. dist. 8.* inter alios laudare sufficit.

** Conf. MOELLERVS I. *alleg. cap. I. dist. 3.* & cel. RVNDE *Anmerkungen und berichtigende Zusätze zu dem Bawischen Lehnrecht pag. 36.*



Super-



Supereſt iam, vt huius qualiscunq; ſcriptiunculae occaſionem palam indicem. Cum enim Sereniſſimo optimoque principi Haſſiae Landgrauio LVDOVICO IX. placuerit, vt, poſtquam haecenus priuatim in Alma Ludouiciana praelectiones iuridicas habuerim, profeſſionem iurium extraordinariam mihi clementiſſime conferret: officii mei eſt, pro ſalute Sereniſſimae Domus pia nuncupare vota, munusque oratione ſollenni die XIX. Iulii habenda auſpicari. Quem actum vt praefentia ſua condecorare illuſtriorerque reddere dignentur MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, PERILLVSTRIS AC MAGNIFICVS CANCELLARIVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, PROFESSORES ET DOCTORES OMNIVM FACVLTATVM CELEBERIMI, OMNIVM ORDINVM PROCERES SPECTATIſſIMI, NEC NON COMMILITONES GENEROſIſſIMI AC PRAENOBILIſſIMI, ea, qua decet, obſeruantia rogo.

P. P. in Academia Ludouiciana d. XVI. Iulii

CIDCCCCLXXXIII.



1

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs, with some lines appearing to be headings or section markers. The ink is very light and difficult to discern against the aged paper.



Geßler, Diss., 1781-92

ULB Halle


005 360 757



3







19
P. 333

1783, 6
16

DE
IVRE SVCCEDENDI FEMINARVM IN FEVDO
A FEMINA ADQVISITO
BREVITER DISSERIT

ATQVE
AD AVDIENDAM
O R A T I O N E M

DE
CONCLVSI CORPORA EVANGELICORVM
IVRI ECCLESIASTICI COMMVNIS PROTESTANTIVM
IN GERMANIA FONTIBVS

DIE XIX. IVLII MDCCCXXXIII
MVNERIS PROFESSORIS IVRIVM PVBLICI EXTRAORDINARIH
AVSPICANDI GRATIA
HABENDAM

OFFICIOSE INVITAT
ANDREAS IOSEPHVS SCHNAVBERT
PHILOSOPHIAE ET IVRIVM DOCTOR.



—————
G I E S A E
EX OFFICINA BRAVNIANA.

